

mensium spatium reversus non fuerit; vel qui retento etiam habitu ultra duos menses in apostasia perseveraverit; prout videre est in nostris statutis generalibus pro familia Cis-montana editis sub reverendissimo P. generali, Michaeli Angelo de Sambuca, cap. II, § 8, ubi etiam pœnæ pro quavis apostasia apponuntur: atque n. 17, ibid., statuunt, etiam illum gravis vel levis apostasiæ pro diversitate moræ, reum esse, qui cum licentia e conventu egrediens, tamen sine necessitate alio, vel alia via vadit, quam sibi per facultatem liceat, quique tempus in facultate præscriptum excedit, quique sine socio de loco ad locum proficiscitur.

21. *Quævis dictarum ipso facto inducit excommunicationem.* — Inter quas pœnas est, quod quis etiam levissimæ apostasiæ reus, ipso facto sit excommunicatus, ut patet ex statutis, loc. cit., num. 2, ubi in genere omnes et singuli apostatæ, nullo excepto, ipso facto excommunicantur, ut post Portell. *¶ Apostasia*, in *Addit.*, num. 2, bene notat Kerchove, in *Statuta*, cap. VI, § 20, num. 2. Nec refert, quod aliquæ apostasiæ dicantur leves, leviores, levissimæ, aliæ graves, graviores, gravissimæ; quia tales non dicuntur respectu levis seu venialis, et gravis seu mortalis peccati: nam quævis etiam levissima est peccatum mortale, indeque sufficiens excommunicationis causa; sed dicuntur tales respectu ipsius apostasiæ, quos suos gradus apud nos habet.

22. *Carceris item, et inhabilitatum ad officia.* — Porro sicut quævis etiam levissima apostasia excommunicationem, ita etiam pœnam carceris secum trahit, juxta citatorum statutorum tenorem, quæ loc. cit., num. 34, de omnibus et singulis apostatis universaliter etiam istud statuunt: « Tandem omnes apostatas, etiam postquam redierint, et in quacunque provincia reperiantur, ad aliquod officium, nisi per decem annos post apostasiam laudabiliter, et religiose vixerint, promoveri non posse.

23. *Cum apostatis post medietatem pœnarum superatam dispensari poterit. Ordinariè loquendo post sententiam latam in pœnis dispensare nequit iudex.* — Notandum tamen etiam, quod postquam memorata statuta nostra pœnas sat graves pro quavis apostasia præscribere, ad finem num. 33, addant: « Possit tamen pro sua misericordia, in his pœnarum generibus, ubi pœnarum qualitas, et emendationis signa suadeant,

medietate pœnitentiæ jam peracta, capitulum provinciale, per suffragiorum secretorum majorem partem (si bene visum fuerit) dispensare. Quæ licentia est specialis sicut in pœna hæresis juxta dicta supra tit. VII, § VI, num. 331, cum alias superior in pœna post latam sententiam dispensare non amplius valeat, ut alibi jam diximus, et magis adhuc dicemus infra tit. 37, de Pœnis, de quo vide etiam Kerchove, in *Statut. generalib.*, cap. VI, § 23. Cæterum hæc specialia in ordine nostro de apostatis in gratiam eorum breviter dicta sint, quibus statuta generalia non sunt ad manum.

24. *Apostatare ob obedientiam, quid?* — Ad apostasiam a religione, seu statu religioso alii reducunt etiam apostasiam ab obedientia. Alii vero ex illa distinctam apostasiæ speciem faciunt docendo, quod large, et generaliter loquendo, omne peccatum mortale dici possit apostasia ab obedientia, unde Eccles. 10, dicitur: Inifium superbiæ hominis, apostatare a Deo. Magis vero proprie illum apostasiam ab obedientia committere dicunt, qui formaliter ex superbia, vel ex contemptu resistit superiori humano legitime præcipienti, vel sacris canonibus, et justis legibus obedire penitus recusat. arg. can. 1 et 2, *cau.* 3, q. 4, ibi: Transgressores enim sponte legis suæ violatores, et recedentes, apostatæ nominantur.

25. *Apostatare ab ordine sacro, quid?* — Quæritur IV. Quid sit, et quibus pœnis subiaceat apostasia, et apostata ab ordine sacro? Resp. I. Apostasia ab ordine committitur, et apostata ab illo dicitur; cum quis in sacris ordinibus (puta subdiaconatu, diaconatu, vel sacerdotio) constitutus ad statum laicalem, vel etiam conjugii, dimisso clericali habitu propria temeritate se transfert. Ita in re communis. Patetque descriptio ex terminis.

26. *Discedens in minoribus constitutus ad statum laicalem non est apostata ab ordine sacro.* — Dicitur notanter in sacris ordinibus constitutus; licet enim aliqui, cum quibus sentit Gonzalez, in c. 1, h. t. n. 5, velint, illos quoque apostatas esse, qui in minoribus constituti, dimisso habitu clericali ad statum laicalem transeunt, arg. cit. c. 1, h. t. Tamen Covarruvias, de *Sponsalib.* p. 2, cap. IX, § 3, num. 2, cum Glossa, in c. *Tue*, 3, h. t., *¶ Tolerandi*, probabilius docent, tales veros apostatas, et pœnas apostasiæ ab ordine subjectes non esse; eo quod re-

cedendo a statu clericali per minores ordines assumpto, nullum saltem grave crimen committant, arg. c. 1, de *Clericis conjugat.* cum Concordantiis; nec a statu perfectiori, sed a via duntaxat illius discedant nec cogi valeant, ut ad statum clericalem iterum redeant: uti tanquam apostatæ cogi possunt, et debent, recedentes ab ordine aliquo sacro. Confirmatur communi praxi, et consuetudine, quæ est optima legis interpret, l. 37, ff. *de Legib.* cum passim videamus, aliquos in minoribus jam constitutos, dimisso clericali habitu ad statum laicalem transire, et tamen propterea pœnis apostasiæ ab ordine non subjici, consequenter veros apostatas ab ordine non esse.

27. *Perdidit tamen ipso facto beneficium, si quod habuit.* — Verum quamvis si in minoribus constituti transeant ad statum conjugii non sint veri apostatæ, nec pœnis apostasiæ ab ordine subjecti, tamen beneficia, si quæ habuere, ipso facto, et ante omnem iudicis sententiam perdunt, prout amplius diximus lib. III, tit. III, de *Clericis conjugat.* a n. 9.

28. *Pœnæ apostasiæ ab ordine sunt. I. Excommunicatione.* — Resp. II. Pœnæ apostasiæ ab ordine sacro sunt sequentes. I. Est excommunicatio non quidem latæ, sed ferendæ sententiæ; nisi clericus in sacris constitutus matrimonium contrahere præsumserit. Abbas, in c. 1, h. t., num. 3. Pirhing, h. t., n. 5. Sanchez, de *Matrimon.* lib. VII, disp. 48, num. 1, arg. c. 1, h. t. et Clement. unic. de *Consanguin. et affin.*

29. *II. Infamia.* — II. Tales apostatæ ipso facto sunt infames. Pirhing, h. t. num. 5, arg. can. *Alieni*, 23, *cau.* 2, q. 7, et can. *Beatus*, 2, *cau.* 3, q. 4, consequenter etiam inhabiles ad actus, dignitates, et honores, a quibus excluduntur infames, v. g. ad ferendum testimonium, accusandum, etc. Pirhing, h. t. n. 5. Diaz, in *Practic. crim.* cap. CXV, num. 2.

30. *III. Irregularitas.* — III. Est irregularitas, præsertim si matrimonium contrahere attentat talis apostata; tum quia sunt bigami similitudinarii, prout diximus lib. I, tit. XXI, de *Bigamis non ordinand.* a n. 15.

31. *IV. Amissio privilegii canonis.* — IV. Est amissio privilegii canonis, ita ut percussus talem non incurrat excommunicationem in percussores clericorum latam, can. *Si quis sudente*, 17, q. 4. Ita desumitur ex c. 1, h. t. et c. *Perpendimus*, 23, de *Sententia Excommun.* quæ pœna præcipue tunc

locum habet, si talis apostata, ab episcopo ter admonitus non resipiscat, c. *In audientia*, 23, eod.

32. *V. Resipiscere nolentes possunt incarcerationi.* — V. Possunt episcopi tales apostatas, qui nec minis, nec blanditiis induci volunt ad reassumendum habitum, duro mancipare carceri, ita ut solummodo vita sibi miseris reservetur, donec a suæ præsumptionis nequitia resipiscant; prout expresse statutum habetur c. *A nobis*, 5, h. t.

33. *Reiterantes baptismam, seu anabaptistam, qui? et qualiter delinquant.* — Quæritur V. circa alteram rubricæ partem, quid intelligatur per reiterantes baptismam, seu anabaptistas? qualiter delinquant? et quas pœnas incurrant? Resp. I. Reiterantes baptismam, seu anabaptistam sunt, et dicuntur illi, qui alios absolute, et scienter rebaptizant, seu sæpius, quam semel baptizant, vel qui se rebaptizari permittunt: et hi gravissimum sacrilegium, immanissimum scelus, et inexplicabile facinus committunt, ut dicitur can. *Rebaptizare*, 108, can. *Cum itaque*, 112, de *Consecrat.* eo quod baptismam rite collatum indelebilem imprimat characterem, ac propterea irreiterabile sit, prout novissime etiam definitum habetur a concilio Tridentino, sess. 7, can. 9, et can. 11, et sess. 14, cap. II.

34. *Pœna reiterantium baptismam de jure communi civili est ultimum supplicium.* — Resp. II. Pœnæ anabaptistarum sunt sequentes videlicet, quod jure civili ultimo afficiantur supplicio tam illi, qui rebaptizant, quam qui se rebaptizari sinunt, l. *Si quis*, 2, c. *Ne sanctum baptismam*, ibi: Si quis rebaptizare quempiam de ministris Catholicæ sectæ fuerit detectus, una cum eo, qui piacularum crimen commisit (si tamen criminis per ætatem capax sit) et hic, cui persuasum sit, ultimo supplicio percellatur.

35. *De jure canonico autem est irregularitas.* — Jure canonico vero contrahunt irregularitatem. Navarrus, in *Manuali*, cap. XXVII, num. 246. Barbosa, in c. 2, h. t., num. 2. Pirhing, h. t., num. 13 et 15, arg. c. 2, h. t. can. *Confirmandum*, 65, dist. 50, can. *Assos*, 3, dist. 98, can. *Qui in qualibet*, 10, *cau.* 1, q. 7, can. *Eos*, 118, dist. 4, de *Consecrat.* cum Concordantiis.

36. *Quam contrahit etiam, qui rebaptizanti ministrat, acolythus, v. g. subdiaconus.* — Imo non tantum rebaptizantes, sed etiam his ad rebaptizandum ministrantes, ut aco-

lythi, subdiaconi, diaconi, irregularitatem saltem in tantum contrahunt, ut ad ordines superiores ascendere non amplius valeant, si crimen sit publicum, arg. c. 2, h. t. ubi licet de solo acolytho ministrante sermo sit, tamen etiam idem de aliis ministris merito extendunt Barbosa, in cit. c. 2, h. t., n. 8. Pirhing, h. t. n. 14, et alii. Ratio est, quia non respectu solius acolythi qua talis, sed ratione ministerii ex officio præstiti, ministrans rebaptizanti, irregularitatem contrahit; quæ ratio etiam in aliis militat.

37 et 38. *Pœnas præfatas non incurrit, qui sub conditione vel ignoranter rebaptizat.* — Dicitur autem notanter in conclusione, qui absolute, et scienter, qui enim non absolute sed sub conditione: Si non es baptizatus, te baptizo, quis rebaptizat, aut rebaptizatur, irregularitatem non incurrit; etiamsi temere, et sine prævia inquisitione, utrum jam baptizatus fuerit, id fiat. Barbosa, in c. 2, h. t. num. 2. Layman, lib. I, tract. V, p. 5, cap. II, num. 1. Navarrus, in *Man.* cap. XXVII, num. 246. Pirhing, h. t., n. 13. Bonacina, et alii. Ratio est, tum quia leges pœnales debent intelligi cum effectu, qualis in tali casu non haberetur hoc ipso, quod conditio apposita, si subest, et suspendat, et impediatur actum, eumque cessare faciat; tum quia sub conditione baptizans non habet intentionem rebaptizandi jam prius baptizatum; cum actum agentium non operentur ultra intentionem illorum, arg. l. *Non omnis.* ff. *Si certum petatur.*

Pariter ab irregularitate immunis est, qui ex ignorantia (dummodo crassa non sit) rebaptizat, aut rebaptizatur. Scotus, in 4, dist. 6, q. 8. Layman, loc. cit. num. 1 et 2. Covarruvias, *Man.*, cap. XXVII, num. 146, cum communiori, et probabiliori aliorum. Ratio est, tum quia hæc irregularitas imponitur propter delictum; ergo ubi ob ignorantiam abest delictum; seu culpa, abest etiam irregularitas; tum quia proprie loquendo, non censetur iteratum, quod nescitur esse factum, can. *Solemnitates*, 16, dist. 1, de Consecrat.

39. *Solvitur instantia.* — Objiciunt adversarii can. *Qui in qualibet*, 10, cau. 1, q. 7, ubi dicitur: Qui in qualibet ætate alibi, quam in Ecclesia Catholica baptizati, aut rebaptizati sunt, ad ecclesiasticam militiam prorsus non permittantur accedere. Item can. *Qui bis*, 117, dist. 4, de Consecrat. ibi: Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indi-

gent pro eo se pœnitere, nisi quod secundum Canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat. Resp. Per hos canones nil probari contra doctrinam num. præced. positam. Nam primus textus intelligi debet de ætate discreta, et doli capax, ut bene ibi explicat Glossa, *Ætate*, et colligitur ex verbis subsequentibus; atque concordat can. *Placuit*, 3, can. *Qui apud*, 4, cau. 1, q. 4, ubi expresse habetur, parvulos ab hæreticis baptizatos, postea si adulti ad fidem, et Ecclesiam fuerint conversi, ad ordines promoveri posse; additur ratio, videlicet, quia suo id non fecerunt iudicio. Ad can. *Qui bis*, respondetur, illum non habere vim legis, cum nec a Papa, nec ab aliquo concilio proveniat, sed desumptus sit ex pœnitentiæ Theodori, ut bene advertit Covarruvias, loc. cit.

40. *Quis dispenset in irregularitate ob reiteratum baptisma contracta?* — Cæterum in irregularitate, quæ contrahitur ob iteratum baptisma solus Papa dispensare potest, si delictum est publicum. Barbosa, in c. 2, h. t., num. 7. Palao, tract. XXVII, disp. 6, pun. 16, num. 14. Pirhing, h. t. Si vero delictum est occultum, dispensare valet episcopus vigore concilii Tridentini, sess. 24, de *Reformat.* cap. VI.

41. *Iterantes confirmationem non contrahunt irregularitatem.* — Quæritur VI. Num etiam ob iterationem sacramenti Confirmationis contrahatur irregularitas. Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi desumitur ex can. *Dictum*, 8, dist. 5, de *Consecrat.* ubi æqualiter prohibetur reiteratio baptismi, et confirmationis. Quo non obstante Resp. Negative Covarruvias, in cit. Clem. *Si furiosus*, p. 1, num. 8, et alii. Ratio est, quia nulla in jure reperitur statuta irregularitas in reiterantes confirmationem, ubi autem in jure expressa non est, asseri non potest, arg. c. *Is qui*, 18, de *Sentent. Excommun.* in 6, ibi: Irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in jure) laqueum non incurrit.

Solvitur instantia. — Ad can. *Is qui*, respondetur, ibi quidem æqualiter prohiberi iterationem utriusque sacramenti, non tamen æqualem pro utriusque reiteratione pœnam statui; consequenter cum pœnæ non sint extendendæ de casu ad casum per ea, quæ diximus lib. I, tit. II, de *Constit.* num. 429, eas, quæ contra iterantes baptisma statutæ sunt, ad iterantes Confirmationem extendere non debemus.

TITULUS X.

De his, qui filios occiderunt.

1. *Ratio continuationis.* — Post crimina, quibus contra Deum, ejusque divinum cultum immediate, et principaliter delinquitur, recto ordine pergunt compilatores ad delicta, quibus proximus læditur in corpore et vita, utpote quæ inter temporalia est summum hominis bonum. Hinc in præsentem, et nonnullis sequentibus titulis de homicidio, quo vita hominis tollitur, tractatur. Et quoniam inter homicidia omnium gravissimum est parricidium, de hoc ante omnia in præsentem titulo agitur.

2. *Parricidium proprie dictum, quid?* — Quæritur I. Quid sit parricidium? et quæ pœnæ ipsius? Resp. I. Parricidium proprie tale est homicidium, quo proles parentem, avum, aut aviam, vel parens prolem occidit. Communis. l. un. C. de *His, qui parentes aut filios occid.* et l. I, ff. et l. *Pœna parricidii*, ff. *Ad legem Pompeiam de parricidio.* Nec refert, sive quis patrem, sive matrem, sive legitimum, sive naturalem duntaxat occidat, aut ab horum aliquo occidatur proles, aut si hæc incestuosa, adulterina, aut sacrilega sit, quodvis enim hujusmodi homicidium, proprie dictum parricidium est. Clarus, § *Parricidium*, num. 2. Farinacius, in *Praxi criminali*, part. V, q. 120, sect. 5, num. 105. Alexander, in l. *Ex facto*, § *Si quis rogat*, ff. ad S. C. Trebell.

3. *Lege humana olim habebant parente potestatem in liberos suas.* — Nam licet olim lege civili parentum potestas etiam in vitam liberorum fuerit, ut asseritur l. *In suis*, 11, ff. *de Liber. et posthum.*, et l. fin. C. de *Patria potestate*, ibi: Patribus, quibus jus vitæ in liberos, necisque potestas olim erat permissa: tamen hæc potestas eis etiam lege humana fuit adempta, l. *Divus*, 5, ff. *Ad legem Pompeiam, de parricidio*, et l. un. C. de *Emendat. propinq.*, ut proin necem, qua parens prolem occidit, parricidium esse, extra controversiam sit.

4. *Parricidium improprie, et large tale, quid?* — Dicitur autem notanter in conclusione, num. 2, posita, parricidium proprie tale; quia improprie et large loquendo, parricidium est et dicitur quodvis homicidium cujusvis consanguinei etiam collate-

ralis, vel etiam affinis, item et conjugis, cit. l. I, ff. *Ad legem Pompeiam de parricidio*; ibi: *Lege Pompeia de homicidio cavetur, ut si quis patrem, matrem, avum, aviam, fratrem, sororem, patrualem, matrualem, patruum, avunculum, amitam, consobrinum, consobrinam, uxorem, virum, generum, socrum, vitricum, privignum, etc., occiderit: sed et mater quæ filium, filiamque occiderit, etc., et avus qui nepotem occiderit, etc.* Ad parricidium improprie tale reducitur etiam homicidium novercæ, sponsi item, vel sponsæ, l. *Sed sciendum*, 3, ff. *Ad legem Pompeiam de Parricidio.*

5. *Pœna parricidii proprie talis, quæ olim fuerit de jure civili.* — Resp. II. Pœna parricidii proprie talis jure civili olim erat, ut sequitur: Si quis parentis, aut filii, aut omnino affinitatis ejus qua nuncupatione parentum continentur, fata præparaverit (sive clam sive palam id ausus fuerit) necnon is, cujus dolo malo id factum est, vel conscius criminis extitit, licet extraneus sit, pœna parricidii puniatur et neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii solemnium pœnæ subiciatur sed insutus culeo cum cane et gallo galkinaceo, et vipera et simia, et inter eas ferales angustias comprehensus (secundum quod regionis qualitas tulerit) vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur, ut omnium elementorum usu vivus carere incipiat, et ei cælum supersit, et terra mortuo auferatur. Ita expresse statutum habetur, § 6. *Instit. de publicis judiciis*, quod idem etiam statuitur l. *Pœna parricidii*, ff. *Ad legem Pompeiam de Parricidio*. et l. un. C. *De his, qui parentes, vel liber.*

6. *Et quæ hodie sit?* — Verum hæc pœna ob periculum desperationis non amplius est in usu (excepta Hispania, in qua teste Gomez, lib. III, variar. resolut., cap. III, n. 4, adhuc viget) sed juxta Constitutionem criminali Caroli V, a. 131, mater (idem est de aliis parricidiis) qui vivum infantem a se editum malitiose occidit, viva in terra defodi, et per ejus corpus stipes, seu palus transfigi, aut ad desperationem evitandam aqua suffocari debet. Verum et hæc pœna in usu esse desinit, ejusque loco aliæ pœnæ pro diversitate circumstantiarum, arbitrio judicis, et consuetudine locorum, vel legum municipalium exasperandæ, vel mitigandæ infliguntur; alicubi enim ad caudam equi ligati trahuntur, et postea rotæ affiguntur: alibi membra cruciantur rota: alibi decapitantur, et ca-